



**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Vtrum in hoc Sacrame[n]to sint distinguenda illa tria, quæ in alijs
plerisque reperiuntur, scilicet Sacramentum tantu[m], res tantum; & res &
Sacramentum simul.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

nem Magum baptizatum hortatur ad pœnitentiam, non ad memoriam baptismi. Confirmatur; quia in veteri lege memoria Circumcisionis, quæ erat typus Baptismi, non erat remedium peccatorum; sed varia sacrificia, & expiationes: ergo neque nunc memoria Baptismi, sed alia quædam expiatio.

Probatur Tertio, Quia Patres passim docent, hominem post baptismum lapsum multo difficilius reconciliari, quam ante baptismum: Quia scilicet Pœnitentia, quæ reconciliatur post baptismum, requirit magnum dolorem, luctum, lacrymas, ieiunia, orationes, & similes acerbitates peccato respondentes, quibus ipsum veluti ex æquo vindicetur, ut inquit Theodoretus libro 5. De cretorum Diuinorum cap. de Pœnitentia sub finem. Vnde quidam Patres Pœnitentiam vocant *Baptismum Lacrymarum*, quidam *Secundam post naufragium tabulam*: baptismus enim est veluti nauis, quæ facile peruenimus ad salutis portum; sed fracto hoc nauigio per peccata relinquitur nobis Pœnitentia veluti *tabula* quædam, quam apprehendamus, quæ non nisi magno cum labore euadamus interitum animæ. Hanc comparisonem habet Tertullianus lib. de Pœnitentia, & Ambrosius lib. ad Virginem lapsam cap. 8. & Hieronymus epistola ad Demetriadem.

Denique ratio est; Quia non erat consentaneum optimæ gubernationi diuinæ prouidentia, ut illi, qui lumen fidei, & alia multa dona à Deo acceperant, & Dei voluntatem cognoscebant, tam facile reconciliarentur, quam illi, qui nondum talibus beneficijs affecti fuerant; neque diuinam voluntatem cognouerant: iuxta illud Luca 12. v. 47. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, plagis vapulabit multis.*

Sed obiecit Caluinus: Baptismus à Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 3. vocatur *Sacramentum fidei, & pœnitentia*. Et Marci 1. v. 4. dicitur Ioannes Prædicasse baptismum pœnitentia in remissionem peccatorum.

Respondeo: Baptismus vocatur ibi *Sacramentum Pœnitentia* à Fulgentio, non cuiusuis, sed eius quæ præcedit baptismum, quam Apostoli iubentur prædicare Luca ultimo; & de qua Actuum 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*: Baptismus enim est signum, illum pœnitere antea actæ vite. Nô est autem *Sacramentum eius Pœnitentia*, quæ post baptismum agitur, de quo nobis est sermo. Ioannes autem prædicabat, baptismum non Christi, sed suum; qui dicebatur *Baptismus pœnitentia in remissionem peccatorum*, quia ad pœnitentiam præparabat, & consequenter ad remissionem peccatorum per pœnitentiam obtinendam.

DVBIVM I.

CIRCA RESPONSIONEM AD TERTIVM.

Verum in hoc Sacramento sint distinguenda illa tria, quæ in alijs plerisque reperiuntur: scilicet, Sacramentum tantum, res tantum, & res & Sacramentum simul.

Respondeo, Non magnoperè id fuisse necessarium, nisi Hugo de S. Victore & Magister id excogitassent, quos secuti sunt Doctores Scholastici: quia nulla auctoritas Scripturæ, Concilio-

rum, aut Patrum ad hoc cogit: Dicit tamen potest; Id, quod est *Sacramentum tantum*, esse actus externos pœnitentis cum verbo absolutionis. Id, quod est *Sacramentum & res simul*, esse pœnitentiã interiorem: hæc enim significatur actibus externis, & etiam ipsa est signum remissionis peccatorum: Ipsa autem remissio est *res tantum*. Ita D. Thomas hoc loco, & alij plerique Doctores.

DVBIVM II.

Verum verum sit, quod habet D. Thomas, Primum esse causam secundi, & secundum tertij?

Ratio dubitandi est: quia Pœnitentia inferior non efficitur ab actibus externis, sed potius est causa eorum, scilicet confessionis, & externi doloris, & satisfactionis: neque sequitur absolutionem, sed ei supponitur tanquam materia vel dispositio.

Caietanus, ut hæc explicet, quædam dicit, quæ non sunt vera. Primum est, Attritionem interdum esse ita perfectam ut cum solo voto Sacramenti fiat contritio, & iustificet. Verum hoc videtur falsum; tum quia attritio nunquam potest fieri contritio, cum obiecto & specie distinguantur; tum quia attritio nunquam potest iustificare; hoc enim soli contritioni conuenit; ut aperte colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4.

Alterum est, Attritionem esse interdum imperfectam, sic ut cum voto Sacramenti non iustificet; tamen Sacramentum externum accedens efficiere ut fiat contritio; & ita contritionem vltimam esse causam iustificationis: & in hoc casu verum esse quod ait Diuus Thomas. Vbi Caietanus videtur sentire Sacramentum Pœnitentiæ tunc non iustificare, nisi ex attrito faciendo contritum, ac proinde non nisi mediante motu contritionis; quod sine dubio non est verum. Nam non requiritur motus contritionis dum absoluiur, aut immediate post, ut quisque in se experitur, & patet in eo qui absoluitur in amentia. Neque mediante motu contritionis iustificat hoc Sacramentum, quasi primò, & immediate excitet contritionem, & per contritionem iustificet: nam per se & immediate iultitia confert homini dispositio.

Dominicus Soto aliter hæc respondet, Interioriorem Pœnitentiam dupliciter considerari: primò, quatenus est prior naturâ infusione gratiæ; & sic non esse contritionem, sed naturalem dispositionem, quæ non habet rationem meriti: secundò, ut est posterior naturâ, quàm gratia quæ infunditur; & tunc habere rationem contritionis, & esse effectum absolutionis, & causam remissionis peccati: Vnde infero (inquit) eadem contritio, ut est effectus Sacramenti, est res; ut autem est causa remissionis peccati, est Sacramentum.

Sed hæc non videntur vera. Primò; quia de ratione contritionis non est, ut sit meritoria remissionis peccati; sed solùm, ut sit dolor de peccato super omnia, quatenus est offensio Dei. Secundò, etiam prius naturâ, quàm infunditur gratia, est vera contritio; alioqui dolor iste solùm denominatione extrinseca esset contritio. Tertio; quia contritio, etiam ut est posterior gratiæ, id est, ut consideratur iâ in subiecto grato, non est causa remissionis peccatorum, ut vult Sotus, sed supponit eam; multoque minùs eam meretur.

Respondeo

Baptismus lacrymarum.

Secunda post naufragium tabula.

Obiectio Caluini ex 3. Fulgentio.

Quæstio hæc non adeo necessaria.

10

Caietani expositio retellitur.

11 Reijctur similiter expositio Dom. Soti.